

quantum vero successive de ferro solvunt tantum cupri rursus eidem apponunt, ut tandem soluta omni substitutia ferrea merum cuprum ejusdem quantitatis atque figuræ sit substitutum, atque ita quod miraculo proximum est, si quæ instrumenta ferrea iisdem injiciuntur, eadem post aliquid temporis intervallum cuprea extrahuntur, sicuti hujus rei specimina ad manus habeo, in quibus ille falsæ transmutationis modus ad oculum patet. Quemadmodum etiam rem sese habere videmus in illo experimento, quando cuprum aqua forti solvimus atque aquæ huic instrumentum ferreum immittimus, tum enim aqua illa Stygia ferrum confessim aggreditur atque solvit, quantum vero solvit tantum cupri dimittit atque ferreo instrumento loco absumentarum particularum rursus apponit.

Cum tandem sub argillæ illius induratione, avolante humiditate, particulae ipsius arctius sibi implicitentur atque proprius ad se invicem accedant, necessario animalia argillæ inhærentia; quæ vix partibus durioribus ossis resistere possunt valide satis compriment. Et hinc in promptu est ratio quare compressa aliquo modo in Crocodilo nostro ossa appareant atque in Ichtytis supra exhibitis ipsæ figuræ depressiores sint, & quare in multis lapidibus Islebiensibus cumprimis, nil nisi squamarum vestigia, spinis ejusmodi piscium tenerioribus cum partibus mollioribus consumptis, obseruentur.

IV.

EPISTOLA Godofredi Gvilielmi Leibnitii,

ad Autorem Dissertationis de figuris animalium quæ in lapidibus observantur, & Lithozoorum nomine venire possent

Vir Nobilissime & Amplissime.

Mirificè Crocodilo Tuo fossili applaudo, gaudeoque quod hortatibus meis obsecratus dissertationem de eo meditataam absolvisti. Scis eandem mihi esse sententiam, in veri locum, tanquam in modolum successisse metallicam expressionem. Fusiis mentem ante multos annos ex-

exposui in dissertatione nondum edita *de antiquissimae Historia vestigiis in ipsius natura monumentis.* Nonnulla etiam obiter indicavi in schediasmate Actis Lipsiensibus olim inserto, cui titulus, *protogaea.* Conjecturam de lacu vel aquarum receptaculo terra obruto, piscibusque, quales Islebienses, inde petitis, & si Tibi non per omnia satisficerit, putem tamen non omnino spernendam. Nam pisces illic, ut & Osterodæ ad radices Hercynii nostri montis, (credo & passim alibi) in vena pensili (*schweebendem gang*) seu ad horizontalem accidente periuntur; unde intelligas, olim in eodem serè plano horizontali extitis, id est, in aliquo lacu. Cæterum ut quædam Diluvio Noachico posteriora, ita plurima anteriora esse crediderim. Multa enim faciunt, ut rationi ipsique Scripturæ Sacrae consentaneum arbitrer, totum terræ globum ante ortum hominis aliquando mari tectum fuisse tunc, cum Deus aquas ab arida recedere jussit; & prius adhuc igne flagrasse, tunc cum lucem à tenebris separavit; aliasque postea ingentes mutationes subsecutas, de quibus hodie nihil suspicamur. Incognita huic orbi animalia, quorum vestigia deprehendimus, annon pleraque aquatica vel amphibia fuerint, amplius inquirendam: præsertim cum credi posit ex marinis aut amphibiis, cum jam à mari destituerentur, nonnulla tandem terrestria prodiisse, quæ longo temporis tractu mutata aquam amplius non ferant. Cl. Tenzelio pia mem. ipse monstravi olim animalis prope Guelfebitum ex lapidicina eruta spolia, maxilla in primis partem cum dentibus, quæ animal non impar Elephanto, sed diversum tamen, reterret. Terrestre an aquatile fuerit non definiterim; nec terrestria vi aquarum in longinquas ora^s fuisse delata & aliubi cumulata prorsus negaverim: cum magna aquarum pars ad species quasdam & fissuras decurrere potuerit per quas fortasse in cavitates terræ interiores recipiebatur; quale quid de specie Hierapolitana narrat Lucianus: puto etiam quædam animalia terrestria olim in nosquis oris versata, hodie intercidit, sive ob mutationem climatis si ve alias ob causas, quas in ea, rerum remotarum caligine divinare difficile foret. Cæterum per placet eximi & præclare de rebus naturalibus meriti Scheuchzeri nostri, quam citas, observatio de plantarum Ectipis in lapide spectabilibus, ita veram plantam per minutissima reiercentibus, ut ex ea expressos dubitari vix possit. Cl. Heinius integrum *Botanicam subterraneam* ex lapidibus nos sperare jubet, plantasque Indicas in fodinis Saxonicas deprehendit. Et licet ipse multis ingeniosis argumentis prolatis amplius deliberandum censeat, an

non subint, quos vulgo vocant Naturæ lusus ; quod nec de omnibus negaverim ; in multis ramen aliud judicandum exactissima illa conformitas probat. Vale.



V.

J. Chauvini,
Nova circa Vapores Hy-
pothesis.

I.

UT vapores ac fumosi halitus materiem præbeant Meteoris aëreis, nebulis videlicet, nubibus, pluvia, nivi, tonitru, &c. illos & in altum ferri, & in sublimi aliquandiu pensiles hærere, omnino statuendum est; & revera statuunt Philosophi ad unum omnes. Qui autem utrumque istud fiat, explicare tentabimus.

(2) *Primo* quidem contendimus dari, aut saltem dari posse in Geocosmo innumeratas bullulas ex aëre & aquâ concretas : cujusmodi sere sunt bullulae, quæ à pueris ludibundis conflari solent Spiritu per calamum immisso intrâ aquam sapone imbutam Eatenus autem bullulae Geocosmicae efformantur, quatenus aer in globum quasi colligitur, aut cogitur ab aquâ circumfluâ, cuius exilis saltem lamina inclusum aerem undique continuo premit æqualiter ac involvit. Neque id gratis assumimus : naturali enim via bullas ex aëre & aqua concrescere non modo probant, sed & demonstrant Physici Experimentaltes. Reponunt isti vas vitreum aquâ semi-plenum in Recipiente itidem vitro, subindeque aliquam aeris partem, mediante Antlia Pneumatica, exantlant : tunc autem promptum est advertere quâ plurimas aeris particulas, intrâ aquam latitantes, ex inferioribus hujusc elementi porulis ad extimam ejusdem superficiem assurgere, imo & aliquantulum emergere, seu abire in bullas aut sphærulas ; quæ sanè spectantium oculis nihil aliud exhibent præter aeris particulas, tenuibus aquæ quasi pelliculis obductas.

(3.) *sc.*